


Conradi

1765





*Conrati*  
IOH. LUDOVICI CONRADI  
VARIORVM


EX IURE  
CIVILI LIBER



MARBVRG.

APVD MÜLLERI HAERED. ET WELDIGE

ciclocclxv.





1

DE IURE ACCRESCENDI  
(ad pr. cap. 12 tit. Dig. de legat. I.)

**S**i eadem res Titio et Maeuio legata est,  
et Maeuius Titio heres extitit die le-  
gati cedente : quid iuris sit, quaeritur.  
De illa caussa Pomponius pr. cap. 12 tit.  
Dig. de legat. I. opinionem Labeonis, et  
qui eandem cum restrictione quadam de-  
clarat, Proculi refert, his quidem ver-  
bis, vt in Codice Florentino leguntur:  
*Si mihi et tibi eadem res legata fuerit,  
deinde die legati cedente heres tibi extitero:  
liberum mihi esse Labeo ait, ex meo lega-  
to, an ex eo, quod tibi heres sim, adqui-  
ram legatum. Si voluero eam rem ex meo  
legato ad me pertinere : ex hereditario legato  
petere eam posse Proculus ait. Contius le-  
git, non posse, vt alii quidam libri ha-*

A 2 bent.

bent. Sed Merillius (*de iure accrescendi cap. 10.*) vitio interpunctionis negationem ratus in istis libris admissam fuisse lectionem Florentinam instituit defendere. Quae res ei parum commode cessit. Quare vel inuiti opinionem illius cogimur repellere: cum alioquin valde probemus operam eorum, qui lectionem in veteribus libris ab emendatione quorundam inepta vindicent. Sententia Labeonis facillima est. Nam die legati cedente, id est, cum illud deberi incipit, ius petendi sine dubio ad heredes transmittitur, propterea que Maeuius, qui Titio heres est, partem eius in re legata ex causa hereditatis recte petit. Neque prohibetur ex suo legato, quippe cui coniuncti pars accreuit, totam rem petere. Sed quid est, quod Proculus eam in rem adiecisse dicitur? Hoc optimo puto intelli-  
gi posse, si locum Caii, qui est pr. cap. 55 tit. *Dig. de legatis* II huc transferamus. Ait is, si Titio et Maeuio eadem res legata sit, et die legati cedente Titius herede Maeuio reliquo decesserit, repudiante illo vel ex suo legato, vel ex causa hereditatis, partem legati defecturam.

Agedum

Agedum igitur videamus, ne non diuersum senserit Proculus, cum Labeonem interpretaretur. Ille putat, Titium, qui coniuncto succedit, si non ex suo legato rem totam ad se pertinere voluerit, eam ex caussa hereditaria petere nequam posse. Quod idem est ac si dixisset, posteaquam is partem coniuncti repudiauit, rursus ex caussa hereditaria non est adquisitus, sed pars defecit, et fisco adquiritur. Haec autem erat Caii sententia, veluti vidimus. Ita que vterque et Proculus et Caius in eo conueniunt, nihil interesse quomodo coniuncti pars adquiratur, ex caussa legati, an hereditatis, dummodo ante non fuerit repudiata. Veruntamen Caius ponit aut legatum repudiatum, aut legatarium coniuncti hereditatem adire noluisse. Proculus autem de priori tantum caussa loquitur. Quapropter necesse erit rationem inuestigare cur in vtraque pars legati deficiat, ne difficultatem pariat id quod Proculus alteram repudiatae hereditatis omisit. Ut igitur intellegatur Titius partem legati repudiasse, meminisse oportet, concursu illius cum Maevio in

A 3

eadem

eadem re partes factas fuisse. nam totius rei legatum pro parte nec adquiri neque repudiari potest. Nam mortuo Maeuio, si Titius partem ei debitam repudiet, ignarus forte commodorum hereditatis, postea comperta re non potest partem, quae modo defecit, ex causa hereditatis sibi vindicare. Sin velit rem ad se pertinere, cum peruentura sit ad eum iure ad crescendi: nihil obest quo minus illa tanquam ex hereditate Maeuii petatur. Dicet aliquis haec ex superioribus facile diiudicari posse; se cur legatum repudiata hereditate deficiat voluisse cognoscere. Igitur qui hereditatem coniuncti repudiauit, nec illius in re legata partem habiturus est, propterea quod ius ad crescendi hic quidem cessat. Rationem autem cur locum non habeat paucis nunc ostendemus. Legarius ille, quem ponimus die legati cedente decessisse, legatum non agnouit, sed ius acquirendi ad heredem suum transmisit. Ita que si non instituisset coniunctum, sed alium quemcunque: dicendum foret heredi liberum esse partem in re legata acquirere, neque coniunctum, dummodo ille

ille adquireret, iure ad crescendi usurum. Verum cum ipse coniunctus heres scriptus est, siquidem adeat, subtili ratione dici potest, ex suo legato ei partem ad crescere, quae ab altero deficiat: quippe qui non agnito legato decessit, nec eius agnoscendi facultatem ad heredem transmisso videtur eo, quod neminem heredem reliquit, qui agnoscendo coniunctum excludat. Sin repudiet hereditatem: intuitu legati perinde res erit ac si propriam suam partem repudiasset: nam legati acquirendi ius ei delatum fuit: quum que nemo existat, cui omissa pars ad crescat, ex constitutione Antonini fisco deferenda est. Atque hoc caput iuris omnes quod sciamus ignorasse hos, qui singularibus in eam rem scriptis libris doctrinam de iure proposuerunt ad crescendi, non possum neque satis admirari, neque constituere, vtrumne suo maiori dedecore illud, an ipsius doctrinae dispendio, praetermisserint. Et ipse adeo Iac. Gothofredus, eruditionis ac scientiae vir summae, qui librum scripsit de lege Caducaria, nullam ne verbo quidem eius alicubi mentionem capitinis iniecit, quod

A 4

illuc



illuc sine dubio pertinebat. Vnus extitit Merilius, qui suo de iure ad crescendi libro, quem iustissima de causa *Obscurorum* appellat, cum ipse nullum rebus inferat orationis lumen, hoc caput ita profert, vt, quod maximopere probamus, eius defendat lectionem, quae correcta est a nescio quo, valde illo quidem a Contio laudato, eamque lectionem, quod ei dolendum est infeliciter cessisse, interpretando declareret. Suis ne an alienis oculis in hoc capite legendō vsus sit Merilius, nescio: Labeonem ab eo nominari, qui sit Proculus, id scio. Sed hoc quidquid est neglegentiae, quae summis nonnunquam viris obrepit, a nobis indicari, non exagitari meruit. Quod autem Merilius putat legatum non nisi vindicationis in causa poni posse, illa res curam nobis iniicit atque sollicitudinem. Ratio quidem, quam reddit, friuola est, propterea que nulla. Nam Paulli verba, quibus hoc loco vtitur, non possunt eo trahi quo voluit. Ait enim Paullus (*Sent. rec. Lib. III. Tit. VI. §. 7.*) *Per vindicationem legatum, et si nondum constituerit legatarius ad se pertinere, atque ita post*

it post apertas tabulas ante aditam hereditatem decesserit, ad heredem suum transmittit. Quae verba sic intellegi possunt, dies legati vindicationis cedit, simulat que tabulae testamenti apertae sunt. Ita que Merillius existimat, quia vindicationis legatum ad heredes transeat ex die cedente, in nostra causa, ubi legatum, cuius dies cessisset, ad heredem dicatur transiisse, vindicationis subintellegendum. Quod si admittimus: absurdum consequitur hoc: legata tantum vindicationis ex die cedente ad heredem transmitti. Atquin aperte dicit Vlpianus (Tit. XXIII. §. 31.) legati cuiusque pure relieti diem iure antiquo a morte testatoris, et ex lege Pauparia post apertas tabulas testamenti cedere. Restat nobis, ut verba interpretemur Pauli, quem videmur intellegere multo rectius. In legato vindicationis ait legatarium non, quemadmodum in ceteris, oportere voluntatem testatoris agnoscere tum, quum tabulae aperirentur: sed legatum non agnatum ad heredes illum transmittere. Nam, ut a Iac. Gothofredo recte animaduertitur, legatum damnationis, quod est agnoscendum tem-

A 5

pore

pore aperti testamenti, si legatarius, eo  
non agnito, ante aditam hereditatem de-  
cedat, caducum illud fit. Atque hanc  
ob caussam legatum vindicationis in caus-  
fa ponendum est contra quam Merillius  
existimauit: primum quia legatarius pro-  
ponitur voluntate testatoris non agnita  
decessisse; deinde quia Iurisconsultus ait  
concursu in eadem re legata partes fa-  
ctas fuisse. Nam qui putat in nos haec  
verba intorqueri posse, atque ita dici,  
partibus in concursu factis intellegi v-  
trumque voluntatem testatoris agnouisse,  
ideo que non defecisse alterutrum e duo-  
bus, qui ambo concurrere dicantur, is  
eius locutionis vim singularem nondum  
sane perspexit. Hoc enim significatur  
vtrique diem legati cessisse, atque adeo  
facultatem eius agnoscendi datam esse.  
Ita que ipso iure intelleguntur partes esse  
factae, quia dicendum alioqui foret vnius  
repudiatione coniuncti legatum vtrum-  
que caducum factum; quod absurdum  
est. Hi ambo autem coniuncti sunt re et  
verbis: quare coniunctim illis eadem res  
legata dicitur. Et suspicor addidisse  
**Pomponium, per vindicationem, quae**  
verba

verba Tribonianus eo sustulit, quod ipsius tempore discrimin inter legatorum genera sublatum erat. Sed ad Merillium reuertamur, qui male interpunxit, pesime etiam locum nostrum interpretatus est. Sic igitur legit: *Si mihi et tibi eadem res, et quae sequuntur. Si voluero ex meo legato rem ad me pertinere. Ut tota mea sit: ex hereditario legato petere eam posse.* Sententiam eius paucis completemur. *Si voluero ex meo legato rem ad me pertinere, idem videtur ei, quod meam partem agnoscere, alterius repudiare.* Sequitur *ut tota mea sit: ex hereditario legato petere eam posse.* Quibus praecise vult intellegi alterius partis repudiationem, ut post illam ex hereditario legato ius mihi adhuc competit rem totam petendi. Sane Merillium latuit proprietas verborum, ex suo legato rem ad se velle pertinere, quae non indicant partem ei debitam ipsum agnoscere, alteram omittere, sed hoc, utramque agnoscere. Etenim de tota re, cuius dimidium alicui competit, acquirenda, quaerimus. Si partem meam repudiem, pars deficiens mihi non adcrescet: sin partem deficiens:

cientis: ex meo legato quod adquiram  
profecto nihil est. At dices, etsi non ex  
meo legato, tamen quo minus ex caussa  
hereditatis adquiram quid impedit? Fa-  
cillima est responsio. Ad caussam modo  
animum aduertite. Superius enim La-  
beo ait liberum esse mihi ex meo lega-  
to, an ex hereditario adquiram. Quid  
ergo, si ex meo legato rem ad me velim  
pertinere? Quilibet videt ad id necesse  
esse, ne legatum alienum repudiauerim.  
Repudiato enim eo, rursus aio, nihil es-  
se, quod ex meo legato, id est, iure  
coniunctionis adquiram. Non ergo Pro-  
culum percepit Merilius de hereditario  
legato respondentem. Cuius quidem le-  
gati caussa facile ex iis, quae disputau-  
mus, cognosci potest. Ceterum recte  
erroris arguit eos, qui verba Proculi  
sententia negante accipiunt propterea, ne  
duae caussae lucratuiae in vna persona  
videantur concurrere: quem errorem fa-  
tis est indicasse, impugnare non decet.  
Quanquam ita vulgaris est atque obuius,  
ut eum deprehenderim in Dionysii Go-  
thofredi, quas Corpori Iuris a se edito  
subiecit, notis: in quas notas errores  
etiam

etiam crassissimi videntur quasi agmine  
facto irruisse.

II

DE HEREDE SOCII

(*ad §. 9. cap. 65. tit. Dig. pro socio.*)

Societas neque iure porrigitur ultra mortem sociorum, (capp. 35. 52. 70. h. t.) neque ita iniri potest, ut heredes in eam succedant. Et vero soluitur morte vnius socii, licet plures supersint. Ut ilitatis tamen ratio in hunc casum pactum admittit. Eius iuris Papinianus (cit. cap. 52) hanc reddit rationem, *ne libertas supremi iudicii priuata pactione constringatur*. Verbum constringere hic interpretamur non *diminuere*, sed etiam *tollere*. Quid enim? Si communionem inter socios ultra mortem eorum durare ponimus, nonne eorum, qui vniuersa sua bona in communitate contulerunt, testamentifactio sublata videtur? Merito igitur mandatum comparamus cum societate. Quid enim interest, amicus negotia nostra gerat, an socius; cuius etiam fidem eo magis sequimur, quod negotia nobiscum habeat communia. Iam et si vterque contractus morte finitur contrahentium: in heredem

dem tamen actio est, ut et bonam fidem  
et diligentiam praestet. Bonae fidei con-  
trarius est dolus, qui tam ex persona he-  
redis, quam defuncti admittitur (cap.  
40. h. t.) Ut dolus est, siquid e re do-  
mini heres retinet. Cuius et a defuncto da-  
missi tenetur. Diligentiae autem no-  
mine praestat non modo id, in quo  
defunctus neglegenter versatus est, et da-  
mnum, quod is culpa sua dedit, sed et-  
iam siquid domini vel socii interest nego-  
tium a defuncto coeptum non esse expli-  
catum. Etenim tenetur heres ad nego-  
tia, quae defunctus gerere coepit, ex-  
plicanda. (const. 20. Cod. et §. 2. cap.  
21. tit. Dig. de neg. gest.) eadem que est  
caussa mandati negotii que gesti ac socie-  
tatis (cit. cap. 21.) Plane ex mora et  
dolo ipsius heredis obligatio est, siquid  
vel retinuit e re domini, a defuncto ad-  
ministrata, vel postea, cum ipse admini-  
straret, quaesiuit, nec restituit. Cete-  
rum intellectu facillima sunt postrema  
verba §. 9. cap. 65. excitati, dolum et  
culpam in eo, quod ex ante gesto pen-  
deat, et ab herede, et heredi praestari  
debere. Nam cum actio inter socios  
mutua

m mutua sit: siue socii defuncti successor  
 n- negotium perficit, superstites socii ad-  
 e-uersus eum agere possunt: siue ipsis his  
 p. consummatio negotii relicta est, actio-  
 o- nem illi nemo est quin videat conceden-  
 to dam. Eum vero, cui ipsum negotium  
 o- praestandum est, non minus, et doli  
 o et culpaé, qualis demum cunque in eo  
 a- negotio gerendo admissae, reum fieri pos-  
 t. se constat.

## III

NVM EXERCITOR DEPOSI-  
TVM SVO LOCO MOVERIT

Videtur cum pignore loco exerci-  
 toriae actionis iungi debuisse depositum,  
 propterea quod in utroque inest credi-  
 tum speciei. Sed Architecti iuris Iusti-  
 niani longa illud interposita serie obliga-  
 tionum vel ex alieno consensu descen-  
 dentium vel naturalium in librum XVI  
 reiecerunt. Ipse Cuiacius hoc loco hae-  
 sitabat. Rationem tandem extricauit in-  
 dignam summo iuris interprete, quasi  
 Tribonianus tot conditionibus recensem-  
 dis, fatigatus ut paullulum respiraret, iu-  
 cundiora ista immiscuisset. Nos vero,  
 qui

16 III. Num exercitor depositum

qui probare contendimus Tribonianum non ex proprio ingeniolo Digestorum titulos disposuisse, sed Edicti Perpetui ordinem diligenter seruasse, neque hic caussae diffidimus. Age igitur ipsam tertiae Digestorum partis, ad quam haec quaestio pertinet, oeconomiam inspiciamus. Post vindicationes, et damni persecutio-nes, quae vel domino vel in dominum dantur, alias que actiones, quas quilibet diligens systematis investigator non sine ratione illis subiectas videat: nobilissimus sequitur P. III condictionum, h. e. earum actionum, quae ex obligatione descendunt, tractatus. Obligatio-num autem cum pars ea maxime celebretur, quae ex negotio secundum ius ciuile contracto venit: singulae species vtriusque contractuum generis ordine enumerantur. Primum contractuum genus est eorum, *qui re perficiuntur*, de quibus in vniuersum agitur tractatu*de rebus creditis*. Huius generis contractuum duae species sunt, cum in creditum eamus, aut *genere*, vt in *mutuo*; aut *specie*, vt in *commodato*, *pignore*, *deposito*. Creditum est vel *certum*, vnde con-

n condic<sup>tio</sup> certi (Lib. XII. Tit. I.) ex iu-  
reiurando, (Tit. 2, 3.) ob caussam dati,  
(Tit. 4.) ob turpem caussam, (Tit. 5.)  
indebiti, (Tit. 6.) sine caussa, (Tit. 7.)  
vel *incertum*, vnde condic<sup>tio</sup> furtiva,  
(Lib. XIII. Tit. 1.) ex lege (Tit. 2.) tri-  
ticiaria (Tit. 3.) de eo quod certo loco  
dari oportet, (Tit. 4.) His condic<sup>tio</sup>-  
nibus, quae omnes fere vel ex contractu,  
vel quasi ex contractu h. e. ex iure ciuili  
sunt, Praetor subiecit actionem de con-  
stituta pecunia. (Tit. 5.) Sequitur actio  
commodati, (Tit. 6.) et pignoratitia  
(Tit. 7.) Depositum autem in eo rece-  
dit ab his contractibus, quod qui aliquid  
apud amicum deponit, cum nullam ei  
utilitatem adferat, nec cum ipso nego-  
tium videtur contrahere. Quare titulus  
depositi reiectus fuit in Librum XVI,  
cum prius de creditis eiusmodi, quibus  
ex alieno quoque consensu obligaremur,  
exponendum esset. Quae cum contra-  
bantur *negotiatione* vel *maritima*, vel  
*terrestri*, veriusque caussa proponuntur,  
illius quidem *exercitoria actio*, (Lib. XIII.  
Tit. 1.) ex lex Rhodia de iactu; (Tit.  
2.) huius autem institoria actio. (Tit. 3.)

B

Sed

18 III. Num exercitor depositum cet.

Sed et pater vel dominus eum, quem potestati suae subiectum habet, merce peculiari patitur negotiari. Quam urgente aere alieno inter creditores debet distribuere. Si minus tribuat: datur in eum actio tributoria. (Tit. 4.) Hinc commoda datur occasio, ut de naturali obligatione filiifamilias vel serui tradatur. (Tit. 5.) Naturalis obligatio non adiuuatur, si filiusfamilias mutuum contraxerit. (Tit. 6.) E ceteris filii contraetibus pater peculiotenus tenetur. (Lib. XV. Tit. 1. 2.) Nisi aut negotium in eius rem versum, (Tit. 3.) aut eiusdem iussu contractum sit. (Tit. 4.) Sed et in ciuilis ex credito obligatio interdum infringitur, vt in SCto Velleiano (Lib. XVI. Tit. 1.) et in compensationibus (Tit. 2.). Ordine nun sequitur depositum, (Tit. 3.) quod optime etiam iungitur et mandato, (Lib. XVII. Tit. 1.) et societati. (Tit. 2.). Nam vt socii fratum loco sunt, ita eius cui vel negotium mandemus vel depositum committamus, fidem et amicitiam nobis oportet esse perspectam.

III QVA

QVATENVS CVIVS INTERSIT IN  
FACTO NON IN IVRE  
CONSISTIT

(ad cap. 24. tit. Dig. de reg. iur.).

Sententia est haec: quia, quid intersit, facti quaestio est; ideo nulla neque legum, neque definitionum iuris aestimatio vtilitatis est, sed ad officium illa iudicis pertinet. Agit autem emtor in id quod interest, interueniente mora, aut culpa venditoris. Eius culpa est, si quid ab ipso vel celatus sum, quod scire mea interfuit, vel deterius factum accipio. Quodsi dolo vel contumacia non restituit: tum iudex non ipse quidem vtilitatem aestimat; sed actori iusiurandum in litem defert. Eo iureiurando nequis in infinitum vtilitatem suam aestimet, praescribitur nonnunquam summa, intra quam iuret. Interdum iudex postea quoque aestimationem, si nimia videtur, minuit et quasi temperat. Neque actor propterea creditur peierasse. Commodum reperiuntur in eodem, ex quo haec regula desumta, libro Paulli V ad Sabinum

caussae nonnullae, quae ipsam regulam illustrant. Cap. 4. pr. de *act. emti* ponitur seruum aliquis ignorantis mihi, sciens furem esse, vel noxium, vendidisse. Qui licet mihi duplam, euictionis putanomine, promiserit: tamen ex emto potius, quam ex stipulatu tenetur: quia fieri potest, ut mea duplo etiam pluris interfuerit non ignorare. Deinde cap. 14 de *in diem addicēt.* ponitur emtor, cui fundus in diem addicetus erat, alium emtorem non idoneum subiecisse: cui addiceto fundo, et si neque prior emtio valet, cum venditio alia et vera subsecuta sit, et vendor deceptus cum priore emtore de dolo agere poterat: nihilominus tamen ex vendito actionem habet propterea quod utilitas eius agitur, quae cum aestimari debeat, ut nec actione alia nulla compensatur, ita intellegitur neque lege, neque definitione iuris, quemadmodum dictum est, designari ac constitui posse. Sed obseruandum est, quod cap. 21. §. in 3. de *act. emti* praecipitur, utilitatem circa rem consistere debere, h. e. utilitas aestimanda est non quatenus, exempli caussa, inopia mea mihi rem cariorema fecit,

fecit, sed quatenus ipsum pretium rei  
maiis aut minus factum est. Ex vendito  
actionem habes et euictionis nomine, si  
forte stipulatione comprehensa non fue-  
rit. Nihil enim refert, quo pacto, si  
culpa tua non est, in aestimationem ve-  
niat utilitas tua. Notandum autem est,  
ut utilitatem, quam veteres jurisconsulti non  
ita ad ipsius magnitudinem pretii exeg-  
runt, huius ut ratione habita certos ei  
terminos constituerent, ab Iustiniano po-  
stea duplo veri pretii, quod non egredie-  
retur, definitam ac circumscriptam esse.

V.

SUPER NEGOTIIS GESTIS  
NONNULLA

(ad cap. 35. tit. Dig. de neg. gest.).

In toto Gul. Ranchini variarum le-  
ctionum volumine recte videor affirmare  
posse tantum non esse boni, quantum  
in uno libri tertii capite secundo, ubi  
nonnulla proposuit ad doctrinam perti-  
nentia de negotiis gestis, mali deprehen-  
ditur. Nos, ut defendamus, quem prea-  
aliis et charum habemus, et satis admi-

22 V. Super negotiis gestis nonnulla.

rari non possumus, Ceruidum Scaeulam, eius enim verba in cap. 35. tit. Dig. de neg. gest. dubium peius interpretetur, an corrigat miserius, principia iuris, in quibus exponendis vtcunque versatur, paucis praemittimus, ipsam autem illius sententiam veritatis oratione libera et iusta indignationis merita castigabimus.

Putat igitur Ranchinus, eum, qui amici negotia gerat, omnia illius negotia gerere necesse non habere, cum vel in paucis amicum sua opera nobis consulere sufficiat. Quod verum non est, neque conuenit cum verbis Vlpiani, quem sententiae auctorem laudat suae. Vitium in eo latet, quod caussam minus recte proponit. Nam Vlpianus cap. 6 tit. Dig. de neg. gest. non quaerit, si quis idcirco quod amici vnum negotium in se suscep- perit, curam eius rerum omnium gerere teneatur: sed eum, qui in administratio- ne omitteret, quae vir diligens omissu- rus non fuisse, tenere ait, siquidem ne- mo illius contemplatione ad negotia ac- cederet. Ab eo nimis um, qui alienum negotium sine mandato domini in se sus- cepit, et bonam fidem, et exactam dili- gen-

gentiam exigimus. Quare omissionis perinde ratio habenda est, ac neglegentiae in negotiis admissae. Meminisse hic oportet, negotiorum gestionem negotii contractum esse vnius, non plurium, quorum alia quis gerere, alia neglegere possit. Aliud est, si quis ad vnum negotium eo consilio accedat, vt finito illo discedat; tum enim ad alia gerenda obligatum non esse euidens est. Deinde Ranchinus ait, negotia gerentem pecunias absenti debitas exigere non debere. Recte quidem, quia nullum habet mandatum; periculum praeterea est, ne exiendo conditionem absentis deteriorem faciat. Quod autem const. 20. tit. Cod. de neg. gest. eam in rem excitauit, nihil est; neque aliam ob caussam credo excitauit, nisi vt illam constitutionem corrigeret, euentu, qui expectari poterat, infelici. Verba rescripti sic habent: *Tutori vel curatori similis non habetur, qui citra mandatum negotium alienum sponte gerit; quippe superioribus quidem necessitas munieris administrationis finem, huic autem propria voluntas facit. At satis abunde que sufficit, sicui vel in paucis ami-*

24 V. Super negotiis gestis nonnulla.

ci labore consulatur : secundum quae super his quidem, quae nec tutor nec curator constitutus ultiro quis administravit, cum non tantum dolum et latam culpam, sed et leuem praestare necesse habeat, a te conueniri potest; et ea, quae tibi ab eo deberi patuerit, cum usuris compelletur reddere. De ceteris vero, quae ab aliis tui constituta iuris detenta exacta non sunt, ab hoc qui nec agendi quidem propter exceptionis obstaculum facultatem habere potuit, exigi non potest, et idcirco aduersus eos, quos res tuas tenere dicis, detorquere tuas petitiones debes. Octauiam, cui rescriptum est, ait, sui constitutam iuris dici, quanquam non eo, quo conueniret, verborum ordine, Quare legendum esse rescripto exeunte, quos tui constituta iuris dicis res tuas tenere. Deceptus est exemplis, quorum magnus numerus est, quibus dicuntur sui iuris esse, qui potestate patris exierunt. Hoc loco alia omnia. Nam verba, sui constituta iuris, referenda sunt, non ad Octauiae personam, sed ad res et bona, quae ad eius ius pertinent; eadem sententia qua dicitur tui iuris fons, const. 6. Cod. tit. de seruit.

V. Super negotiis gestis nonnulla. 25

seruit., et tui iuris instrumenta, const.  
4. tit. Cod. ad exhib. Ipsam autem ra-  
tionem illam, cur imputandum non sit  
negotiorum gestori, quod debita non  
exegerit, quia mandatum non habuerit  
debitores conueniendi, restringit noster  
hactenus, vt ille neque persona fuerit,  
cui sine mandato agere licuisset, et vt a  
semetipso, siquidem debuisse, exegerit.  
Personas a quibus mandatum non exigi-  
tur, vt sunt affines, liberti, enumerat  
Caius cap. 35. tit. Dig. de procurat. Eis  
posse imputari Vlpianus ait, cur non  
oblata de rato cautione debitorem con-  
uenerint, si modo facile eis fuerit satis-  
dare. Quibus e verbis Ranchinus impe-  
rite ac crude admodum concludit nego-  
tiorum gestori, cui sine mandato agere  
licuisset, simpliciter imputandum esse,  
cur debitorem non conuenerit. Nam  
quum cautionem de rato praestare debeat  
is, a quo mandatum non exigitur; Vi-  
pianus autem non teneri eum significet,  
nisi si facile ei fuerit satisdare: quomodo  
culpae reus fiat, cui non dicam facile,  
sed possibile prorsus non fuerit satisdare?  
Atque hoc interest in bonae fidei iudiciis,

B 5

ad

26 V. Super negotiis gestis nonnulla.

ad quae negotiorum gestio pertinet, quod in eis non tam spectatur, quid praestare potueris, nec ne, quam quo quid animo feceris. Ut, si quis cautionem praestare potuisset, verum crediderit e re magis absentis esse, debitum non exigi, negotiorum gestorum non tenebit actio. Ita que cum idem Vlpianus quaerat, in fine cap. 10. tit. nostri, quid si putauit se utiliter facere, sed patrifamilias non expeditiebat? Dico, inquit, hunc non habiturum negotiorum gestorum actionem: ut enim euentum non spectamus, debet esse utiliter coeptum. Quod magis etiam cernitur in actione, si quis absentis negotia propter affectionem quandam suscep- perat; in qua nulla culpa, sed dolus tan- tum venit. Idem noster Vlpianus §. 9. cap. 2. eiusd. tit. Interdum in negotio- rum actione Labeo scribit dolum solummodo versari. nam, si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negotiis te meis obtuleris: aequissimum esse, dolum duntaxat te praestare. Quae senten- tia habet aequitatem. Deinde, quod su- perius diximus, quum verba interpreta- remur Vlpiani, Ranchinum nesciuisse quae

quae Iurisconsultorum oratio esset in caussis dubii vel indubitati iuris, hoc quoque loco verbo repetendum, atque istud caput Vlpiani breuiter explicandum est. Neque enim sine caussa subdubitanter ait imputari posse, cur debitorem non conuenerit. Nam raro accidit, ut exactione debiti conditio melior fiat absentis. Deteriorem autem et ciuili et naturali ratione prohibemur eam facere. Ita que, ut idem, qui iam laudatus a nobis est, Caius ait, quod alicui debetur, aliis sine voluntate eius non potest iure exigere. Peccat sine dubio is, qui, cum negotia gerit creditoris, a semetipso non exigit. De qua quidem re legi potest cap. 38. tit. Dig. *de neg. gest.* elegans Tryphonini disputatio. Eadem ratione peccatis, qui iniustum compendium quaerit ex eiusmodi negotiorum gestione, velut a se non exigendo, cum ex caussa, quae certo tempore finiretur, obligatus esset; nam etsi liberatus existimari possit: tamen iudicio bonae fidei adhuc tenebitur. Quod igitur Ranchinus putat eos, qui a semetipsis non exigant, in usurpas etiam debiti, cuius quidem dies venisset,  
officio

28 V. Super negotiis gestis nonnulla.

officio iudicis condemnari, illud et verum est, et a Iurisconsultis notanter significatum. Veruntamen fallitur bonus vir, cum dicit vsuras a tempore gestae administrationis tum praestandas esse. Ut enim verba Tryphonini habent, vsuras debitor ex die praeterito praestat, siue postquam oportuerat eum in rationes creditoris summam inferre pecuniae debitae. Quae sententia summam habet rationem. Nec enim bona fides patitur debitorem istum ante moram in vsuras teneri. Aliud est, si quis pecuniae negotium gerat: tum enim, quia pati non debet pecuniam otiosam iacere, vsuras totius temporis praestare cogitur, vt Paullo visum est in *Sent. rec. Lib. I. Tit. IIII. §. 13.* ad quem locum, siquidem illum inspexit noster, credo illam caussam accommodare voluit. Denique animaduertendum est, eum, quo superius dicta in vniuersum enunciaret, nihil ad hanc Vlpiani restrictionem voluisse attendere: *nisi forte ei usuras remiserat.* Quae verba sic plane intellegenda sunt, nisi si cum ante suscepitam administrationem usuras ex debito solueret, creditor eas remiserat. Ergo non

## *VI. Super regulis Iurisconsultorum.* 29

non praestat vsuras, qui a semetipso non exegit, propterea quod ad earum praestationem contra voluntatem creditoris adstringi nequit.

### VI.

#### SVPER REGVLIS IVRISCONSVL- TORVM

(ad cap. I. tit. Dig. de diu. reg. iur.).

Hunc locum! valde commendo iis, qui nostra aetate iura interpretantur. Interest enim significatum regulae verum nosse, quum regulis saepe abuntantur. Ait Paullus, cap. I. tit. Dig. de diu. reg. iuris, regula est, quae rem, quae est, breuiter enarrat. Non ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est. regula fiat. Per regulam igitur breuis verum narratio traditur; et, vt ait Sabinus, quasi causae coniectio est, quae, simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum. Verba Plautii, ad quae commentatus est hoc loco Paullus, non seruarunt nobis Iuris Iustiniani conditores. Id moneo aduersus Iac. Gothofredum, qui, quae principio posita sunt verba, Plautio vindicare voluit,

30 VI. Super regulis Iurisconsultorum.

voluit, ratus interpretationem Paulli incipere inde a verbis, *per regulam igitur*. Ait Iurisconsultus: *regula est, quae rem, quae est, breuiter enarrat*. Hoc est, sententia, quae quid verum, quid aequum bonum que sit, tanquam ad regulam exploratum tradit. est metaphora, vocabulo regulae ab architectis translato, quem admodum definitionis a metatoribus, qui decempedis latifundia definiunt. Ita Petrus Faber sentit; et recte: sed illud non probamus, quod definitiouem, Graece ὅρον, nihil a regula differre vult. Nam et si Q. Mucii liber ille, qui ὅρων siue definitionum inscribitur, nonnisi breues eiusmodi sententias, quae regularum nomine veniunt, continuit; ut ex illius libri fragmentis veri fit simile: tamen hoc animaduertendum est regulae ac definitionis vocabulum Iureconsultis his, qui post Q. Mucium vixerunt, diuersa interesse significatione acceptum esse. Hi enim, Stoicorum more, artis sua pracepta, quae paucis admodum verbis comprehendissent, regulas dixerunt; definitiones autem, quibus vim ac potestatem cuiusque verbi declararent. Videatur Papiani

## VI. Super regulis Iurisconsultorum. 31

niani liber definitionum. Est praeterea locus Vlpiani; cap. 9. tit. Dig. *de hered.* *petit.* vbi regulariter rem ait definendam: quibus verbis vtriusque vocabuli, et definitionis et regulae, proprietatem indicare voluisse intellegitur. Verba Pauli excitata, in quibus declarandis versamur, neque obscura sunt, vt Raeuardo videbantur, neque a librario corrupta, vt cum Gothofredo pro *quae* per geminationem *quaequae* substituendum sit. Usitatum est enim Iurisconsultis addere verba, *qui*, *quae*, *quod est*, cum de universo quodam genere ipsis sermo est, quale genus hoc loco est res, et quae est, intellege, qualis demum cunque propinatur. Quod autem Gothofredus pro sua correctione sollempne illud in edictis, *vti quaequae res erit*, affert, profecto nihil est, quia contextus non habet, *sit*, vel *erit*; sed considerare eum oportebat, quod in oratione Paulli sequitur, *ex iure, quod est, regula fiat.* Nihil est enim facilius, quam intellegere ius constitutum, quo verbo Paullus *vti noluit*, qui eadem dictione, qua paullo ante, genus quoddam indicare malebat. In regula Paullus

## 32 VI. Super regulis Iurisconsultorum.

Paullus requirit, vt verbis concipiatur  
 rei propositae quam maxime propriis,  
 quod est *rem enarrare*. Iam in gratiam  
 eorum, qui penitus nosse cupiant natu-  
 ram regulae, docet, regulas, quanquam  
 ex iure constituto factae sint, tamen ita  
 comparatas non esse, vt ex iis deducere  
 doctrinam iuris atque cognoscere li-  
 ceat. qui verus significatus est verbi, quo  
 vtitur, *sumi*; quem eundem ei tribuit  
 alibi cap. 6. tit. Dig. de solut. Non enim,  
 inquit, *ordo scripturae spectari* debet, sed  
 ex iure sumi, quod agi videtur. Ac  
 profecto summas iuri constituti caussas,  
 quales sunt regulae, periti artes tantum  
 intellegunt, quippe quibus verbum sat  
 est ad intelligentiam. Illis etiam facile  
 est ex iure, quod sciunt, regulas com-  
 ponere, non aequa rerum ignaris atque  
 imperitis. quando quidem ius prius est  
 artificio breuiter ac velut per indicem il-  
 lud exponendi. Cum igitur regula διηγη-  
 σιν, πατάσαιν, σπερματισμὸν, h. e. vt Go-  
 thofredus interpretatur, acta praecipua,  
 et maxime proprium caussae seminarium  
 contineat: recte illa comparatur a Sabino  
 cum coniectione caussae, quae tum liti-  
 ganti-

gantibus de iure, tum declamantibus, olim vſitata fuisse dicitur. Nam et illi, quibus de aliqua re controuersia erat, antequam illam rem in iudicium deducerent, προθελην, vel quandam litis imaginem iudici proponebant, et oratores ante declamationem argumenta cauſae peragendae breuissimis complectebantur. Quae cum ita ſint, cautos oportet eſſe, qui regulis vti volunt: quum, qua concipi ſolent breuitate, curiosiorem relinquant ſententiae inuestigationem. Ita que non conuenit, in illis interpretandis aut adhibendis vel minimum ſententiam neglegere: quae ſi neglegatur, perit vſus. Sic enim accipimus, quod ait Paullus, regulam vlla in re vitiataſ officium ſuum perdere.

VII.

VULGARIS DOCTRINAE  
VITIA

(ad Pandect. Heineccii.)

[Lib. I. Tit. I. §. 1.] Quae hoc loco de fine artis noſtræ differit, ea, ingenue fateor, ſunt magis ad ostentationem ſpeciosa, quam ad vſum commoda.

C

Pars

Pars Digestorum prima τα πρώτα appellatur propterea, quod initia quaedam et quasi incunabula continet doctrinae Digestorum. Quae cum sit actionum doctrina: unusquisque, qui modo perceperit significatum vocabuli actionis, facile intelleget, haec προλεγομένα primum de iure eiusque summis partibus, tum de magistratibus, postremo de coniectione caussae in iure h. e. pro tribunali instituenda tradere debere.

(§. 2. differ. *caussa additur, ius suum cuique.*) Ius est vel *licitum*, quod ex lege, vel *aequum*, quod lege vel deficiente, vel interpretata, ex aequitate nobis competit. Est haec partitio Vlpiani iustitiam definientis. Sed cuiuscunque ponderis sit, ab Heineccio repudiata est Burgii opibus contento. quem quidem Burgium in repreh. nostris satis denuo auimus.

(§. 10. sed id pertinet ad ius publicum.) Non obseruauerat sub Imperatoribus religionis ius cum publico coniungi coepisse. Etenim Vlpianus de sua aetate intellegendus est, cum publicum ait in sacris sacerdotibus et magistratibus consistere.

§. 13

(§. 13. unde illud Doctores primarium.) Distinctio ineptissima, quae nulum prorsus in iure nostro vsum habet. At non intellexit Heineccius cap. 40. tit. Dig. de legib. vbi Modestinus, sententia quadam ex Menandro hausta, totius de legibus tituli argumentum comprehendit his quidem verbis: *omne ius aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo.* Ius necessitate constitutum, quid sit, quaeritur. Cuiacius quidem intellegit Senatusconsulta, quae postea quam comitia Tiberius ex campo Martio in curiam transtulerat legum vim naecta fuerunt. Heineccius autem significari putat ius gentium, quod vulgo vocant *secundarium*. Sed fugit vtrumque ratio. Nos recte Modestinum sic interpretamur. Iura constitui oportet in his, quae ut plurimum, non quae praeter solitum, accidunt. cap. 6. h. t. Quid igitur siqua incidat causa, de qua nullum ius constitutum est? *Ibi necessitas ius facit, et, quod legibus deest, vel interpretatione supplendum est, vel iurisdictione.* cap. 13. h. t. In Praetorum iurisdictionem sequentibus temporibus con-

C 2

stitu-

36 VII. *Vulgaris doctrinae vitia.*

tutiones imperatoriae successerunt. Quare Julianus cap. 11. h. t. interpretationem, et, iurisdictionis loco, *constitutionem* nominat. Iam quaero, an is, qui de iure in ciuitate constituendo agit, de partitione iuris gentium videatur cogitare?

(§. 16. *Illi species Romae erant.*) Secundum originem et responsa Prudentum, et Praetorum edicta ad ius non scriptum sunt referenda. Ita que valde suavis est Heineccius, *praecipuam* speciem iuris non scripti statuens consuetudinem.

(§. 19. *hanc esse dices habitum praeticum.*) Describere voluit artem iuris, sed verbis admodum barbaris vtitur. Artem dicimus rerum cognitionem et usum. Placet igitur Celsi definitio, ius esse artem boni et aequi.

(§. 24. *Iurisconsulti tueatur nomen.*) Si locum Ciceronis excipis, hic §. non nisi nugas continet. *De officio Iurisconsulti singulari* libro exposuit Hotmanus.

(*Tit.*

(*Tit. II. §. 25. duce Pomponio.*) Pomponiani fragmenti oeconomiam commen-  
dauimus in progr. *Ratio enarrandae hi-  
storiae iuris.* Sed ordo, quem Heinec-  
cius tenuit in his rebus enarrandis, mihi  
quidem non probatur.

(§. 28. et 29.) Magis conuenit in  
vniuersum pronunciare, leges regias  
pertinuisse vel ad statum publicum, vel  
ad religionem.

(§. 30. *id est sexaginta.*) Ridicula  
sane Bynkershoekii emendatio, quam ut  
cetera eius omnia H. pro auro venditat.  
Neque nunc me poenitet eorum, quae  
contra Bynkershoekium in *reprehensis*  
meis disputaui. Inscriptio illius capitis,  
*emendationum bracteae, aurum comicum,*  
vehementer ad rem propositam videtur  
pertinere. Non perceperat emendor  
vim ac potestatem verbi *exolescere.* De-  
buerat autem legisse Papillonium (de  
legibus) qui locum, de quo quaeritur,  
ab omni emendatione tutum praestitit.

(§. 33. *disputatione fori.*) De illa  
nihil nisi hariolando adsequimur, Rae-

C 3

uardus

38 VII. *Vulgaris doctrinae vitia.*

uardus quidem e cap. 19. tit. Dig. de *liberis et postum.* eius usum colligit ad Diuorum Fratrum usque tempora productum. Sed caue cum disputatione fori confundas tractatus Iurisconsultorum, quos in auditorio vel Principis, vel Praefecti-Praetorio instituerent, cuius rei exempla passim in iure nostro occurrunt. Vide cap. 40. de *reb. creditis*, cap. 22. *ad SC. Trebell.* et cap. 17. tit. Dig. de *iure patronatus.* Vnum vestigium antiquissimae in foro disputationis videor mihi deprehendisse apud Gellium.

(§. 34. *solennitatum quarundam.*) Iam duplarem legis actionem Perrennius statuit. Sic alii quoque errant, qui adoptionem legis actionem esse dicunt. Nam legis actio nihil aliud est, quam conceptio verborum legitima. Sed longe suauior error est Heineccii, eam in rem afferentis cap. 4. tit. Dig. de *adopt.* et alia nonnulla. Ibi enim adoptio dicitur non ipsa legis actio esse, sed fieri apud magistratum, apud quem sit legis actio, h. e. apud eum, qui iurisdi-

risdictionem habeat. Est autem adoptio actus legitimus, quia sollemni iuris ordine celebratur. const. 4. Cod. h. t. Hinc et sollemnitas dicitur, quam nemo absens, aut per alium peragere queat. cap. 25. §. 1. h. t. Neque aut diem, aut conditionem is actus recipit, non, vt quidam putant, exemplo ceterorum actuum, qui legitimi dicuntur: sed quia foret contra bonos mores filium temporalem habere. cap. 34. h. t. Nam vtique illorum actuum natura diem et conditionem recipit, sed ipsos tantum vitiat eius diei et conditionis adiectio. Neque alia est mens illius nobilis regulae cap. 77. tit. Dig. de diu. reg. iur. Adoptio autem finiri quidem et ipsa potest, sed non quia finem vñquam natura sua receperit, verum quia hoc interdum aequitas postulat, atque adeo cum postulat. vnde, finita illa, nec vllum ex pristino vestigium retinetur: h. e. nulla plane fuisse adoptio iudicatur. cap. 13. h. t. Neque licet eundem iterum adoptare. cap. 37. §. 1. h. t.

40 VII. Vulgaris doctrinae vitia.

(§. 37. *At vero haec mysteria*) Nuga.  
Non enim notas, sed nouas for-  
mulas a se compositas, euulgauit. Vide  
§ 7. cap. 2. tit. Dig. de orig. iur.

(§. 42. *His edictis multa innouata*.)  
Primum sciendum est, Praetorem iuris  
ciuilis interpretem non euersorem fuisse.  
Deinde edicta omnia secundum originem  
iuris sunt non scripti; quia, tum demum,  
cum longo vsu et moribus probata es-  
sent, legum vim obtinerent. Quid er-  
go Heineccius Praetoribus obiicit, quod  
ipse populus tacito consensu suo adpro-  
bauit? Postremo exemplis vtitur senten-  
tiae suae prorsus contrariis. quod et ante  
me Cortius eiusque vindex Ritterus do-  
cuerunt, et ipse in oratione mea aditia-  
li, *super iuris cum aequitate consensu*,  
planissume ostendi.

(§. 44. *SC. cautum, vt Praetores*.)  
Senatusconsultum illud dudum a viris  
doctis explosum est.

(§. 85. *Ceterum leti hi plerique o-*  
*mnes Stoae.*) Immo eclectici fuerunt, et  
Stoi-

Stoicorum paradoxa contemserunt. Quae Paganini Gaudentii sententia vera est.

(§. 87. *Masurius Sabinus, a quo Sabinianorum.*). Sabinianorum schola a Coelio Sabino nomen accepit. quod in excursu quodam ad Gell. probatum dedi.

(§. 88. *Vtriusque scholae discrimin.*) Eiusmodi discrimin constitui non posse docuimus in *Scaeuela.*

(*Tit. III. §. 91. ita hic latius sumta omne ius scriptum.*). Ergo ius non scriptum legis nomen non meretur? At ipse Heineccius responsa Prudentum et edita Praetorum ad leges retulit. Nonne ipse sibi contradicit? Quid commune praceptum summi imperantis ab eo dicatur, nescio. Hoc scio, de re proposita ita tenendum esse. Inde ab antiquissimis temporibus leges a populo latiae sunt. Ita que Papinianus cap. i. h. t. legem vocat communem reipl. sponsionem. Eodem cap. lex dicitur commune praceptum. quod enim communis consensu ius factum est, omnes et singulos ciues obligat.

(§. 108. quae specialia vel priuilegia.)  
 Priuilegia dicuntur constitutiones non  
 speciales, sed personales, i. e. quae per-  
 sonam non egrediuntur. Conf. quae su-  
 per ea re dixi *in excurs. ad Gell. et in ra-*  
*tione enarr. hist. iuris.* Ceterum hic §.  
 ita concipiendus erat: Ius est, quod  
 princeps libello aditus vel priuati alicu-  
 ius. (cap. 33. tit. Dig. de *re iudic.* vel ma-  
 gistratus, (cap. 3. tit. Dig. de *testib.*) re-  
 spondendo vel per epistolam vel per sub-  
 scriptionem statuit, (cap. 32. §. 14. tit.  
 Dig. de *recept.*) Deinde quod cauſa in-  
 ter partes cognita decernit (cap. 3. tit.  
 Dig. de *bis quae in testam. delent.*). Tum  
 quod de plano interloquitur. (cap. 38.  
 tit. Dig. de *fideic. libert.*). Postremo quod  
 vtilitatis cauſa edicto praecipit. (cap. 8.  
 tit. Dig. de *quaestion.*). Atque hoc ius  
 vulgo dicitur constitutio. Quod sicui  
 ista Heineccii magis placent: eum rogo  
 hanc meam obſeruationem ne recuset:  
 Principes, popularis gratiae captandae  
 cauſa, et Iurisconsultos in rescriptis, et  
 iudices in decretis, et magistratus deni-  
 que in edictis videri voluisse.

(§. 112.)

(§. 112. 113. 114.) Longe melio.  
ra docuit Bachius in historia iuris.

(§. 116. *Priuilegia nonnisi a summa potestate.*) Ergo in beneficio concedendo Senatus olim nullae partes? Axiomata chronologiae in iure studium impe- diunt. Enimuero Heineccius tantus hi- storiae iuris cultor excusari nullo modo potest.

§. 120. *reuocatione concedentis.*) Di- stinguunt Pragmatici inter gratuita, et onerosa: illa reuocari, haec non posse. Sed hoc sapit iurisprudentiam adulato- riam. Nam priuilegium est pactum, cuius vis dissensu vnius non tollitur.

(Tit. 5. §. 1.) Eleganter Caius, de iure personarum tractatum instituens, *omne ius*, inquit, *vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* Nimi- rum ius diuiditur vel *ab origine*, in scri- ptum et non scriptum; vel *a caussis*, quae ius aliud faciunt personarum, aliud rerum, aliud denique actionum. Hoc, quidquid est reconditae elegantiae, cum  
Hei-

Heineccium lateret, ordinis demonstrandi causa nolui praetermittere. Praeterea vitium nimiae festinantiae in Heineccio notandum est, qui partitionis των πεωτῶν ignarus, nequid prima eorumdem sectione absoluta, iam ad ipsam Digestorum h. e. actionum doctrinam se accessisse gaudet.

(*Tit. VI. §. 144. Patria potestas est dominium quiritarium.*) Ius vitae et necis patres habebant ex lege Romuli, quae a Decemviris comprobata est. Hinc ius etiam filium ter venum dandi. Qui tamen, si consentiente patre, matrimonium iam contraxit, ex constitutione Numae venire amplius non potest. Sed ius illud vitae et necis in liberos non venit, ut Bynkershoekius, et, qui eum secutus est, Heineccius, sibi persuadent, ex dominio quodam patris quiritorio. Alioquin enim liberi forent res, et Vlpianus eos, quidquid Bynkershoekius contradicat, nequaquam omisisset, quum praecipuas species rerum mancipi enumeraret. vide Tit. XXII. Vlp. Nam qui dominium patris in liberos hinc probari

bari possit, quod pater eos vindicare poterat? cum nemini non competit vindicatio hominis liberi in libertatem. Neque furti actio liberorum caussa patri tanquam domino competit, sed quia eius interest ratione patriae potestatis filium surreptum non esse. Quid, quod inauditum filium pater occidere non potest, sed accusare eum apud magistratum debet? cap. 2. tit. Dig. *ad leg. Cornel. de siccari.* Nam patria potestas in pietate debet, non atrocitate, consister. cap. 5. tit. Dig. *de lege Pomp. de parric.* Porro filiifamilias quare hoc nomine appellantur? quod valet, quasi et ipsi domini essent: qui etiam viuo patre quodammodo domini existimantur, ut ait Paullus cap. 11. tit. Dig. *de liber. et postum.* Et nonne Prudens ius testandi lege XIIl datum ita interpretati sunt, ut patri non liceret nisi nominatim et iusta de caussa filium exheredare? Qui ius merum olim atque acerbum interpretatione sua mitigasse videntur ac temperasse. Igitur patria potestas Vlpiano ius dicitur moribus receptum. Igitur ius vitae et  
necis

46 *VII. Vulgaris doctrinae vitia.*

necis in liberos non ex dominio , sed  
ex patria potestate venit , quam sum-  
mam , dum rationabilem esse vo-  
luerunt.



ELEN

## ELENCHVS CAPITVM.

- |   |                |
|---|----------------|
| <i>I de iure ad crescendi</i>   | <i>pag. I</i>  |
| <i>II de socii herede</i>   | <i>pag. 13</i> |
| <i>III Num exercitor depositum suo<br/>loco mouerit?</i>              | <i>pag. 15</i> |
| <i>IV Quatenus cuius intersit in<br/>facto non in iure consistit.</i> | <i>pag. 19</i> |
| <i>V Super negotiis gestis nonnulla.</i>                              | <i>pag. 21</i> |
| <i>VI Super regulis Iurisconsulto-<br/>rum.</i>                       | <i>pag. 29</i> |
| <i>VII Vulgaris doctrinae vitia.</i>                                  | <i>pag. 33</i> |
- 

## CORR.

- Pag. 15 lin. 8 pro *qualis* lege *cujus*  
 Pag. 17 in fine pro *ex* lege *et*



MC

99 1249 3

**ULB Halle**  
007 679 300

3



WPnF



	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8

### Farbkarte #13



B.I.G.

